

36
DISSERTATIO GRADUALIS
DE
INTELLECTUS
HUMANI ANGUSTIA
IN
NATURA HOMINIS
RIMANDA,

QUAM,

Suffragant. Ampliss. Facult. Philos. in Reg.

Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE,

Maxime Reverendo atque Amplissimo VIRO,
DN. CAROLO
MESTERTON,

S. S. Theol. DOCT. nec non Log. & Metaph.
PROF. Reg. & Ord.

publico Examini submittere constituit

PETRUS ENBLOM,

o. GOTHLIS.

Ad Diem VIII. Junii Anni MDCCCLIV.

Loco horis que ante meridiem solitus.

ABOË, Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc, Fin-
land, JACOB MERCKELL.

plar eius & causam convertatur. Igitur Keckermannus Syst. Phys. L. 4. Cap. 2. dicit, Doctrina de proprietatibus hominis fundamentum & principium est omnium disciplinarum, ita ut Aristotiles merito dicat de anima, principia disciplinarum pendere a doctrina de anima. Decet itaque rerum omium Scientiam ab unius hominis cognitione incipere. Arduum vero hoc plane est negotium, & quam parum tam numerosis conatibus ab homine sit effectum, docent tot copiosa sapientum volumina, tot discrepantes indicataeque lites hominum de sui ipsorum natura. Molestias tamen & difficultatum nodos quia compensat hujus contemplationis utilitas, placuit naturam hominis penitus inquirere.

§ II.

EX anima & corpore, duabus diversissimis quidem substantiis, sed arctissimo vinculo inter se unitis conflatum esse hominem, inter postulata referri existimamus. Opinari equidem quis posset, nullum de origine, fede, commercio cum corpore, immortalitate animæ, oriri poste dissensum, si quidem anima sui intime conscientia, in ejusmodi dissidiis sopiendis, ad suimet ipsius conscientiam, mediante reflexione mentali, recurrere possit. At in nullo fere arguento, intellectus nostri angustia & imbecillitas magis quam in psychologia proditur, us
100

suo jure recte judicat Jacob Bruckerus in hist. Crit. philosoph. Tom. IV. parte II. p. 706. Non ex his quæstionibus nudius tertius demum disputatum est sed omnibus fere seculis Philosophos ambiguam disputationis materiam suspenso tenuisse, ex historia constat philosophica. Si ad castra Philosophorum accedere, pauloque proprius inquirere nobis placeret, quid unusquisque eorum de anima senserit & quam sibi imaginem de ea formaverit; constaret utique vix posse aliquid fingi tam absurdum aut fatue aut stulte excogitatum, quod non aliquis ex numero & classe eorum approbaverit. Holce veterum philosophorum nævos Cartesium emendas ex stimat Ludovicus de la forge in tract. de mente humana Cap. 6. p. 29. ut huic soli deberi clamitat, quod natura mentis nobis nota sit; at rectius fortassis Petrus Poiretus in tract. de triplici erud, de eo judicat, quod in natura mentis humanæ cognoscenda plane cœcutierit, dum eam definierit esse *Ens cogitans*; quis ita hebes stupidusque est, qui hanc Cartesii definitionem animæ nec adæquatam, nec essentialem appellari posse non animadvertisat?

Imperfectiones definitionis Cartesii adhuc paucis ostendere luet. Ubi est genus proximum in hac definitione animæ Cartesiana? Ubi differentia

specifica seu propria? Conceptibus essentialibus de-
stituitur hæc Cartesii definitio, usque ideis, quæ
ejus convenientiam cum rebus aliis, & discrepan-
tiam distincte exprimant. Quis non concederit
perinde esse, si animam dixerit Ens esse cogitans, at-
que si definiturus terram, pronunciaveris eam esse
Ens grave, ignem Ens leve, hominem Ens risibile,
solem Ens caletaciens &c. Siquidem hoc ipso at-
tributum quidem subjecti, non vero subjecti istius,
de quo est quæstio, essentia exprimitur. Et recte
idecirco Petrus van Mastricht Sect. 2. Novit: „Car-
tesian. Cap. 6. p. 233. inquit, si quid judico ac distincte
„percipio cogitationem esse actionem, actionem præ-
„supponere (saltem in creaturis, quæ non sint unus &
„purissimus actus) agentem causam, & hanc esse
„diversum quid a sua actione, adeoque cogitatio-
„nem necessario diversum quid esse a mente cogi-
„tante. Dici non potest, quot & quanta often-
dicula hoc primum fictitium deinceps in philoso-
phia Cartesiana procreaverit.

S. IV. q. huiusq[ue] dubitatio

EA est cognitionis nostræ imperfectio, ut igno-
retur adhuc hodie quid sit anima, & inde a
mundi exordio, ad nostra usque tempora a tot
philosophorum myriadibus nihil amplius præstatum
& investigatum sit, quam quid illa posse; quis per-
durante

durante hac lumma nostra caligine se ad claram
distinctamque animæ notionem pervenire posse con-
fidat? Anima nostra rationalis, inquit Job. Christ.
Sturmius in Philosoph. Elect. p. 331, sibi ipsi fami-
iliarissima, experimentis in momenta continuatis,
cogitare se subinde quædam novit, res innumerabiles a se diversas percipere, ex perceptis varie ju-
dicare, ex judicatis ratiocinari, ratiocinando pluri-
ma invenire, aut ab aliis inventa detegere, se sui-
que similes excogitasie lingvas, præesse omnibus bel-
lo paceque deliberationibus; verbo, mundum hunc
inferiorem omnesque in eo hominum societates gu-
bernare, dirigere &c. Horum inquam, & innume-
rabilium talium sibimet intime conscientia est, & ta-
men si modum aliquem certum & distinctum expli-
care jubeatur, quo vel unicam eamque simplicissi-
mam cogitationem eliceat, protinus animadvertisit
hoc sibi plane esse impossibile. Lippis & tonsoribus
notissimum est, quæstioni quid sit anima? responde-
ri a philosophis eam substantiam immaterialem esse.
Sed cave hac responsione tibi ex asse satisfactum esse
existimes, quia hæc responsio minime exprimit quid
anima sit? sed quid non sit? Quod idem, ac si quis
in quadrivio constitutus viator ex aliquo quereret;
quæ via sibi sit calcanda, ut in Patriam suam redeat?
Et hoc tantummodo ab ipso responsi loco acciperet;
hac unica via, quæ sinistrorum decurrat, sibi pro-
cedendum haud quaquam esse. Tunc enim istud
qui-

quidem nosset, hanc unicam viam esse erroneam. Utra autem ex tribus illis reliquis pro recta & indubitata habenda sit sciret cum ignarissimis. Atque hoc idem illis quoque contingat necesse est, qui semet fidei dogmaticorum in Pneumaticis erudiendos tradunt. Quando enim ab iis audiunt; animam esse substantiam immaterialem, tum istud quidem norunt a castris eorum sibi cavendum esse, qui animas seu spiritus somniarunt esse corporeos, quæ autem ex aliis millenis sectis philosophorum rem acu tetigerit & hanc doctrinam accurate exhauserit, id adhuc supine ignorant. Quid enim est substantia aliud, quam Ens per se subsistens? id est, quod non est in alio tanquam subjecto. Ubi itidem particula exclusiva conceptum negativum facit, ut recte observat *Theomas* Qv. quid sit substantia? diss. 1. §. 2. de ratione status præmissa. Siquidem omnis terminus exclusivus est virtualiter negativus. Et quid est esse immateriale? quam non habere materiam, non partes extra partes, non corpus. Atque idcirco recte *Ludovicus de la Forge* Cap. 6. de mente humana p. 13. Rogo eos, inquit, qui ita animam definiunt (h. e. substantiam immaterialem:) quam habent notionem aut qualem ideam ejus? Et quid concipiunt quando eo modo de ea loquuntur? Necesse est concedant se nihil concipere, neque se ejus habere ideam positivam. Et sicut sapienter judicat *Scherbius* quando diss. de differ: def. §. 16. ait; negationibus

bus istis nos rectissime nostram ignorantiam profite-
ri. Non minus prudenter philosophatur b. Spenerus
quando part. i. seiner Theologischer bedencken Secti
Xt. Cap i. p. 39 ait: unsere seele muss selbst be-
kennen ohngeachtet sie ein geist ist, das die doch
die vahre inre beschaffenheit eines geistes nicht recht
begreifsten könne. Welches ich davor halte das un-
ser aller eigene erfahrung bezeige, wie so gar vir, auch
so die allergelehrtesten nicht völlig vergnügen an dem
genigen finden, vas unsere vernunft selbst an die
hand gibet, velches bereits ein ziemlich argument sein
solte, dass wir nicht mehr in dem stand sein müsten,
in dem unsere natur, die doch verständig ist, und
allo billich selbst vor allen dingen begreffen solte,
anfangs gevessen sein muss. Allo muss einmahl ein
licht in uns aufgehen, und sich Gott uns durch sein
geist, als den geist der weisheit und offenbarung
selbst offenbaren &c.

§. V.

In tellectus nostri angustia ex eo etiam elucet, quod
doctrina de animæ origine tam difficilis est, ut
inter difficillimas, quæ a Philosophis agitari solent,
questiones non insimum tenet locum. Classes de-
cem variantium de animæ origine, hypothesum col-
legit Fortunius Licetus de ortu anime humanae L. I. 32.
cibus Thomafus in diff. de anime humanae origine p. 7.
Unde-

Undecim numerat earum classes, quæ tamen in duas
præcipuas classes abeunt illorum, qui vel ad *creatio-*
nem vel ad *propagationem* per traducem inclinant. Qui
enim præexistentiam animarum in creatione Adami-
tica fingunt, ad creatianos referri merentur. Diffi-
cultatum harum nebulas videns *Leibnitzus* confugit
in tentamine Theodicees part. I. §. XCI. ad mona-
des & stamina quasi animæ, in animalculis paren-
tum seminalibus latentia, cui adstipulatur *Hanscius*
in principiis philos. *Leibnitiane* p. 176. & *Canzius* de
usu philosophiæ Leib. & Wolt. in *Theologia* p. 287.
quorum & Anonymi cogitata spectant, de media
sententia circa animæ ortum recensita in relat. nov-
antiquis, 1714. p. 287. Nostrum, nullam harum
hypothesium amplectentes, modum propagationis,
velut arcum naturæ, tempori detecturo, derelin-
quimus, hancque doctrinam de origine animæ in-
ter articulos fidei non fundamentales referimus, præ-
euntibus magnorum nominum Theologis, quorum
testimonia *Baierus* in comp. *Theol.* posit. p. 255. adfert.

§. VI.

SEdem animæ inquirentes permultas philosopho-
rum a se invicem discrepantes sententias & hypo-
theses offendunt. Sedem animæ humanæ, in efflu-
viis corporis solaris exstare sibi concepit *Pythagoras*,
dum animam, avulsionem ætheris vocat in aureis
carminibus p. 9. & *Jamblico* teste in vita *Pythagoræ*.
Dum

Dum ille ergo sedem animæ mundi generatim spe-
ctatæ, in sole ponit, cuius radii sunt per totum
orbem expansi, & animam humanam particulam
esse animæ mundi statuit, cuius substantia sit æthe-
rea solaris, sedem primariam animæ humanæ in
sole reposuit, singulatim sedem animi in corde,
mentis vero & rationis in cerebro, sibi concepit,
teste *Suidæ* in voce *loci* p. 634. falla quidem, &
cum animæ immaterialitate pugnans est hæc sen-
tentia, sed arrisit *Marsilio Fecino* in L. XVIII. de
immortalitate animæ Cap. VIII. p. 393. Alii phi-
losophi, vel in sanguine, vel in fluido nerveo, vel
in cerebro animæ habitaculum quæsiverunt. *Plato*
præsertim & complures medici antiqui, sedem ani-
mæ quæsiverunt in meninge vel juxta inferiorem ce-
rebrei partem. Aliter juxta medium superciliorum domi-
ciliū *Sraton* constituit. Idem in sanguine *Empedo-*
cles, & in præcordiis Stoici poluere. Sedem ani-
mæ humanæ in stomacho quærerit *Job. Babilo* ab Hel-
mont in libro de sede animæ Num. XVII. idque per-
peram certe afferitur, quia masticatio & digestio
cibi & potus, & motus ventriculi peristalticus, ad
operationes animæ non spectant, adeoque fides a-
nimæ in stomacho quæri nequit, vid. *Bruckerii hist.*
philol. Tom. IV. part. I. p. 709. 715. Frustra quo-
que in glandula pineali sedem quærerit animæ *Carte-*
sius in principiis philosophicis p. 19. Sed anatomicis jam
dudum observatum est, mucum potius e lympha
B cerebri

cerebri excretum, quam animam ibi sedem fixam habere. In corde habitaculum animæ præcipuum posuit Illust. Wolffius in *actis eruditorum Lips.* 1707. p. 513. & in *Metaphysica* p. 462. Hinc sententia Dan. Sennertii in *practica medicin.* p. 790. Propriam nempe sedem animæ domesticam in corpore esse impericratabilem, libenter subscribimus.

§. VII.

DE vinculo naturali, animam inter & corpus nostrum variantes auctorum extant sententiae, quas tanquam cuivis notas mittimus, ne sententias seu hypotheses citando chartam impleamus. Per has variantes auctorum hypotheses, non omnes in foro soli nebulas disPELLI, & dubia a ratione objecta multa adhuc supereste, modumque hujus utriusque nexus demonstrari non posse credimus. Scire enim velle ea, quæ Deus scire noluit, inanis curiositas est, monente *Augustino de civit. Dei L. 1.* & hoc quoque juste referendum est Sapiens monitum *Ciceronis.* Quam bellum est confiteri potius, te ne scire quod nescias, quam inserta effutientem naufragare, atque ipsum tibi displicere de natura Deorum *L. I.*

§. VIII.

QUICQUID *empirice* experimur, de operationibus &

& proprietatibus animæ, non sufficit ad formalis
animæ scrutinium. Lumen Scripturæ tatis revelat,
animam esse essentiam invisibilem, a corpore Spe-
ciali Secretam & immortalem. Iustitiae, Sapien-
tiae & sanctitatis Divinæ notio, natura nota, con-
firmat, fieri non posse, ut anima simul cum cor-
pore extingvatur. His momentis contenti esse, &
reliqua post hanc vitam differre debemus, quando
anima corpore soluta, interiores suæ formæ recessus
aperiet. Secus enim agentes, plerumque falluntur,
quia omnium, quos Deus condidit rerum naturam
& rationes innumerato habere conantur, quarum
minima tamen pars nobis patet.

§. VIII.

Alteram nunc hominis partem paucis indage-
mus, puta corpus. Quid sit corpus humanum,
ut cunque videatur esse notissimum, attamen non i-
ta est notum, quia ne corporis quidem natura-
lis natura, in quo sita sit, satis in aperto est; quæ
ubi constiterit, & de corpore hominis, quid sit, con-
stabit. Sed ignorare adhuc philosophos, & fortas-
sis æternum ignoraturos, quid sit corpus naturale in
genero dolemus. Philosophi gentiles circa corporis
humani præstantiam describendam, aut in excessu
aut in defectu peccaverunt. Ut enim Epicuræi
corpus menti prætulerunt, ita in alterum extremum

prolapsi Pythagoræi, Platonici & Stoici, corpus nihil curantes, consensu universalis statuerunt, hominem sola anima absolvi, hincque corpus ipsi ergastulum animæ, inutile pondus, tristis carcer & obscurum mentis domicilium audiebat. Atellum onustum id nominat *Arrianus* in Epicteti L. I. Cap. III. *Nimesius* in libr. de natura hominis, cum *Empedocle* corpus vocat antrum, animam detinens. At injurios esse hos Philosophos in bonitatem Divinam corpus organicum donantem e dictis Scripturaræ Job. X. 10. Pt. CXXXIX, 13. 14, satis apparet. Hinc Celebre *Theophrasti* dipterum: magnam mercedem pro inhabitatione, anima persolvit corpori. Unde & *Seneca* in Libr. VI de beneficiis Cap. XXIII. monet: Iicias, non esse hominem tumultuarium aut incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum natura nihil habet, quo magis gloriatur, aut cui gloriatur. Qua de re *Cicero* de natura Deorum L. II. pluribus exponit, corporis humani sollicitam curam non esse negligendam, sed legitime conservandam, ob præstantiam ejus. Sunt, qui hominis dignitatem nobilitatemque pluribus explicant, quod ex instituto fecit *Georgius Queccius*. Sed caute admodum & circumspecte hoc argumentum tractandum, ne miseriæ, quibus hodie circumseptus homo est, obliviscamur.

§. X.

EPICURI effatum, nempe *incomprehensibilia esse corpora* esse verissimum ipsi Philosophi ineptis suis conceptibus testantur. Ut enim *Platonicorum tantummodo & Aristotelicorum, Cartesianorum & Eccliticorum* quorundam mentionem faciamus. Platonici describabant corpus, dicebantque istud non partem hominis, sed instrumentum esse, ut legimus in *Proclo de anima & dæmone p. 272.* At vero tam lippus & luscus nemo est, qui non nævos hujus descriptionis illico peripciat. Quis non tentit, eam esse impropriam & figuratam, cum instrumentum animæ in sensu proprio attribui non possit? Quis non deprehendit, eam involutam vehementer & obsecuram esse, cum *Plato* ipse eandem simili quodam illustrandam censuerit? Iplaque conscientia testatur, ignotius esse, quid instrumentum, quam quid corpus humanum sit? Adeoque mirandum non est, si nullæ veritates ex hac descriptione platonis elici aut in eandem resolvi rursus possint.

§. XI.

ARISTOTELES, in plerisque philosophiæ naturalis capitibus, licet discesserit a Platonis ideis; attamen in corporis humani descriptione ne latum quidem unguem ab eo abiit, neque enim supra magistrum est, teste *Laertio*; 1. 5. p. 301. Quis vero crediderit

rit *Cartesium* in hanc quoque scyllam incidisse qui antiquorum sententiis ad Garamantas usque relegatis, novum Systema Philosophiae condidit. Cartesius cum se ipsum toties definiat: *Ens cogitans*; non alienus etiam videtur a præjudicio Platonico, ut recte notat *Thomasius* Introd: ad philos: aulicam, p. 77. Quod Mersenni anima hoc ipsum diterte profitetur in itinere per mundum *Cartesi* part 1. pag. 56. ubi ait „Nos Cartesiani in hac re Platonici sumus, etenim secundum Platonem quid est „*homo*? anima quæ utitur corpore. Atque potes „meminisse certi cuiusdam loci, inter alios *methodi* „*Cartesi* ubi dicit: attente examinans, quis essem, „& videns, fingere me quidem posse, corpus me- „um nihil esse - - - Contra si vel per momen- „tum temporis cogitare desinerem, nullam ideo „esse rationem cur credam, me durante illo tem- „pore debere existere - - - Intellexi me esse rem „quandam seu substantiam, cuius tota natura, seu essen- „tia in eo tantum consistit, ut cogitem; adeo ut ego, h. e. mens, per quam solam sum is, qui sum, sit res a corpore plane distincta. Ac miror ait, *P. Mersennus* Philosophos & Theologos Scholasticos id *Cartesio* largitos fuisse, illumque articulum non adposuisse numero errorum ejus, qui ab ipsis objiciuntur præsertim cum *Arnoldus* in transitu hanc reflexionem fecerit.

§. XII.

Quod enim ab inimicis Cartesii neglectum est in hoc articulo, id ab amicis ejus deinceps abunde est præstitum. Cum enim viderent ejus discipuli, quam periculotæ plenum opus esset aleæ dixisse, totam hominis naturam & essentiam in eo tantum consistere, ut cogitet; adeoque eodem loco, ut ajunt, saltasse cum Platonicis; aperte contradixerunt in hoc capite magistro suo, & corpus in numerum partium essentialium hominis admittentes rursus, dixerunt, istud esse partem hominis extensam, ut scilicet id ipsum ab anima seu parte cogitante distingverent. Licet hoc ipso non levideniem maculam abluerint a philosophia sua; tamen tantum abest, ut acu, quod ajunt, rem terigerint, & veram corporis ideam expresserint, ut posius falsissimo eandem principio superstruxerint & ædificaverint. Etenim dum corpus partem hominis extensam dicunt, id volunt in simul & supponunt; *In extensione sola corporis essentiam consistere*, quod a veritate omnino dissentit. Primum enim & ipsi Cartesiani confitentur, extensionem esse tantum attributum corporis. Quo ipso & satis manifestum redditur, eandem non ipsum esse subjectum, sed aliquid a subjecto diversum. Et si querat quis & urgeat, quid ista substantia, quid istud Subjectum sit? In quo hæreat ex.

extensio? Respondemus cum Petro van Mastrict sect
 2. Cap. 25. Novit. Cartes. § 3. Rerum substantie
 nobis non innotescunt per se, sed beneficio suorum acciden-
 tium, quemadmodum essentia Divina nobis non innotescit
 nisi beneficio attributorum. Inde tamen velle concludere,
 nihil esse in corporibus preter accidentia, nimium est
 αλογος & preter sensum communem. Nec est, quod
 instent Cartesiani & objiciant; debere nos utique
 claram ac distinctam habere corporis ideam; Sed
 nihil dari omnino, quod prius & clarus & distin-
 ctus a nobis in corpore concipitur, quam extensio.
 Adeoque non posse non ejus essentiam in ea con-
 sistere. Ad hoc argumentum jam est parata respon-
 sio. Sic enim vir Doctissimus & in imbecillitatis
 humanæ agnitione oculatissimus Dn. de Hamel Tr.
 „sec physic. gen p. 121 Non est necesse, ut rerum
 „omnium ideas distinctas & claras habeamus, cum
 „vis mentis nostræ finita sit, nec rerum omnium
 „ideas habeat impressas, imo nescio, an intima ul-
 „lius rei, vel Substantiæ idea clara & distincta no-
 „stræ menti insit. Non enim res ipsas nisi per at-
 „tributa, aut affectiones cognoscimus; idque ut ad
 „nos referuntur; vel ut in se mutuo agunt, &
 „quo plura percipimus attributa, eo rem unam-
 „quamque melius & distinctius percipimus. Intima
 „vero rei cujusque natura aut omnino, aut ma-
 „gna ex parte est tenebris involuta. Adeo ut ex di-
 „stinctis ideis rerum affectiones, modos, acciden-
 tia,

non naturas ipsas esse perspectas colligi ullo modo possit.

§. XIII.

Felecicos quod attinet, eos naturam corporis humani exactius cognosse, quam sectarios perivolum sibi qui habet, egregie fallitur; ut enim occultissimos quosque in praesenti silentio involvamus, Clericum puta Weigdium, Hamelium &c. qui omnes volentes & uno quasi ore profitentur, nescire nos adhuc, quid corpus naturale sit. Quæris, qui fiat istud? Respondemus, id inde procul dubio evenit, quia materiam, formam & finem nostri corporis ne- scimus. Quod si autem tanta hominum in materia corporis humani est ignorantia; quanta, quæso, in ejus forma inheret incertitudo? vide ulterius addit: ad obl. Select. Halens. p. p. 198. 355. seqq.

T A N T U M.



so the body is the temple of God, and
the Spirit of God dwelleth in us.

LXXXI.

and when he cometh, he will rebuke his
servants, and they shall be delivered up to him
that shall smite them with great tribulation,
and shall afflict them, and shall burn them with fire.
And then shall appear the sign of the Son of man
in heaven; and then shall all the tribes of the earth
see him coming upon the clouds of heaven with power
and great glory. And he shall send his angels with a
great sound of a trumpet, and they shall gather together
out of the four winds, the living souls from every nation,
and they shall appear before him; and he shall separate
them one from another, as a shepherd divideth
his sheep from the goats: and he shall set the
righteous on his right hand, but the wicked on the left.
Then shall the King say unto them on his right hand,
Come ye blessed of my Father, inherit the kingdom
prepared for you from the foundation of the world:
for I was hungry, and ye gave me meat; I was
thirsty, and ye gave me drink; I was a stranger,
and ye took me in; I was naked, and ye clothed
me; I was sick, and ye visited me; I was
in prison, and ye came unto me. Then shall the
righteous answer him, saying, Lord, when saw we
thee hungry, and fed thee? or thirsty, and gave
thee drink? or a stranger, and took thee in?
or naked, and clothed thee? or sick, and visited
thee? or in prison, and came unto thee? Then
shall the King answer them, saying, Verily I say
unto you, Inasmuch as ye have done it unto
one of the least of these, ye have done it unto
me. Then shall he say unto the wicked, Depart
from me, ye cursed, into everlasting fire, prepared
for the devil and his angels: for I was hungry,
and ye gave me no meat; I was thirsty, and ye
gave me no drink; I was a stranger, and ye
took me not in; I was naked, and ye clothed
me not; I was sick, and ye visited me not;
I was in prison, and ye came not unto me.

MUTIAT

